

*Apprehendi dexteram Cyri  
ut subiciam ante faciem eius.*

Léctio libri Isaíæ prophétæ

45, 1. 4-6

<sup>1</sup> **H**æc dicit Dóminus de uncto suo Cyro:  
«Apprehéndi déxteram eius,  
ut subíciam ante fáciem eius gentes  
et dorsa regum vertam  
et apériam coram eo iánuas;  
et portæ non claudéntur.

[2-3]

<sup>4</sup> Propter servum meum Iacob  
et Israel eléctum meum,  
et vocávi te nomine tuo;  
designávi te, et non cognovísti me.  
<sup>5</sup> Ego Dóminus, et non est ámplius:  
extra me non est Deus.  
Accínxi te, et non cognovísti me,  
<sup>6</sup> ut sciant ab ortu solis et ab occidénte  
quóniam absque me nullus est.  
Ego Dóminus, et non est alter».

Verbum Dómini.